



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.  
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm  
Crcifixvm**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae, 1648**

94. Manibus ad Crucis modum pectori applicatis Sacram Eucharistiam  
accipit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)



Tempore Constantij & Constantis Imp.  
VIII. Anno CCCXLIV. Iulij Papa VIII.

## IV.

## AMATOR CRUCIFIXI

manibus ad Crucis modum pectori  
applicatis Sacram Eucharis-  
tiam accipit.

94.

*Ecclesia  
antiqua  
consuetu-  
do.*

*Ante Cō-  
munionē.  
Ieiunium.*

AD illam praxim ducere potest Seau-  
rophilum antiquissima Ecclesie  
consuetudo. Nam ad sacram Com-  
munionem cum singulari reuerentiā  
percipiendam varij ritus adhibeban-  
tur. Tempore Apostolorum Christia-  
ni communicaturi, ieiunabant die to-  
to, dummodò valetudo permitteret  
vsque ad Cœnam Dominicam, vt col-  
ligitur ex 1. ad Corin. cap. 11. 34. vbi A-  
post. Si quis esurit, domi manducet, ne-  
pe, si famem sustinere non possit donec  
ad Cœnam conueniant.

Deinde, populus Panem & Vinum  
in Ecclesia tradebat Diaconis, qui ea-  
dem ad altare ferebant.

Tum communicaturis apponeban-  
tur tabellæ, quasi mensulæ. Sicut hoc  
tempore ad mensam coopertam linco  
communicamus.

Clam.



Clamabat ante communionem p<sup>re</sup>-  
co, *Sancta Sanctis*. Tunc Sacerdos osten-  
dens Sacramentum, dabat, dicens: *Cor-*  
*pus Christi*, & sumens dicebat, Amen.

Accipiebant non ore, vt modò, sed  
manu: Viri manibus per modum CRV-  
cis porrectis, nempe dextra superim-  
posita sinistra: lauabant autem antea  
manus. Fœminæ manu velata mundo  
linteo, quod Dominicale vocabant. Ita  
iubet Concil. Altrifiodorens. can. 36.  
*Non licet mulieri nudâ manu Eucharistiam*  
*sumere.* Et Can. 39. *Vnaquaque mulier*  
*quando communicat, dominicale suum ha-*  
*beat.* Cyrill. Ieros. Catech. 5. Mystag di-  
cit, manu concava sumendum Christi  
corpus. Vidend. Synod. VI. Constan.  
Cano. 101.

Quisque acceptam manu Euchi-  
stiam ori imponebat, scilicet, sub vnâ  
specie panis, quam domum etiam defe-  
rebat, & ieiuni sumebant, pro disposi-  
tione sumentis.

Tempore S. Cypriani sumebant quo-  
que sub specie Vini Eucharistiam, vt in  
persequutionibus per susceptionem  
sanguinis Christi magis expressam ani-  
marentur ad fundendum pro eo san-  
guinem. *Leges. Cypr. epist. 56. ad Thi-*  
*baritanos.*